

R.K.  
307  
1.

(X1880955)

1125  
II n  
282

**SARDANAPALUS  
LAUDABILIS ASSYRIORUM  
PRINCEPS,**

Academicæ Dissertationis loco  
propositus,

*Die 3. Julii Anno 1700.*

à  
**M. JOH. FRID. MENTZ,**  
parvo - Tremoniensi Westphalo,

&

**JOH. CHRISTOPH. POETTING,**  
SS. Theol. Studiofo Radeberg. Misn.

*LIPSIÆ,*  
Literis ANDREÆ ZEIDLERI.

26.

26





ALBANO  
TABULARIIS ASSYRIORUM

PRINCEPS  
Academice Dissertationis loco

M. JOH. FRIED. MENTZ

JOH. CHRISTOPH. ROLFFING

LEON. ANDR. ZIDLER



hu  
pr  
fu  
N  
&  
C  
38  
lit  
fu  
ta  
ba  
m  
ev  
vi  
gr  
do  
tu  
ge







A. B.



Super Sardanapali gestis, antequam quid commentari ordiar, vitæ ejus actionumque historiam, ut possum, breviter & quantum institutum meum exigit, præmittere necessarium duxi. Conosconcoloros græcè vocatur Sardanapalus, Suidas ait, Anacyndaraxis, ut alii volunt, ut alii Anabaxaris, Athenæus, Assyriorum Regis Filius. (Si vis hujus plures appellationes, confer Matthiæ Theatrum hist. qui etiam pro Conosconcoloros, Tonosconcoloros secundum Eusebium fortè substituit.) Mortuo Patre secundum Diodorum Sic. trigessimus à Nino Rex factus, Vellejus Patere. tertio & tricesimo loco ab Nino & Semiramide natum dicit, Matthiæ trigessimus sextus à Nino, Chaldæorum est trigessimus octavus, cujus partim rationem reddit p.m. 38. ubi de Teutæo agit, ultimus Assyriorum, in primis propter molliem & luxuriam & ignaviam omnibus perodiosus. Faciem enim fucavit, & cum Scortis agens, eadem cum iis stola usus est. Hoc tamen egit, ne à quoquam, non domestico, videretur unquam. Arbaces autem Dux copiarum, quas Sardanapalus singulis annis pro more ex Media præsidarias, in regiam Ninum, novas adsciscebat, de evertendo Rege, cum Belese Babyloniorum Præfecto, conspiravit. Hic quoniam Astrologiæ peritus, Arbaci prædixit, illum regno aliquando potiturum, admonens, ne quid in eo mox obtinendo negligeret. Arbaces non spernens consilium, Satrapam in futuro regno Babylonix eum denominavit. De visendo itaque Rege cogitans, id donata uni ex Eunuchis aurea impetravit phiala.

A 2

Mox



Mox, conspecta Regis deformi forma, de adimplendis promissis non desperavit, & confirmata cum Chaldæo conspiratione, ipse Arbaces pro more patrio cum exercitu dimissus, Medos pro imperio arma sumere iussit, Persisque defectionem à Rege pro libertate persuasit. Beleses non minus libertatis spe Babylonios ad se pertraxit, Arabesque in communionem consilii pellexit. Interim aliquantisper adhuc, quid intendant dissimulant, perveniuntque ad Regiam Ninum, prætendentes ordinem, quem se fingebant eò vocare; cum tamen revera de evertendo Rege essent solliciti. Rex, cum tandem patefceret scelus, non moratus aliarum Nationum conscripsit Exercitum, quo abs se in aciem ducto, hostes fugavit, stadiis à Nino urbe septuaginta, quò, hostibus redeuntibus, denuo occurrit, pollicitatione præmii, ducentorum auri talentorum, primo facta, Ei, qui aut Arbacem Medum, aut Belesem Babylonium opprimeret: vivos tradentem, duplicatam mercedem cum Mediæ præfectura sperare iussit. Nullum hæc moverunt promissa, inde iterato prælio, Sardanapalo Duce, hostes fusi sunt, quos ille, non prostratis eorum numero paucis, ad montes, in quibus castra sua metati erant, profecutus est. Hac victoria in tantum perfidorum animos terruit, ut de augendo suo Milite, antequam quid imposteriorum tentarent consilia caperent: verum à Belese, ex astrorum situ contrarium persuadente, retenti sunt. Tertium igitur cum rege pugnantes, iterum superati, castris exuti ad Babylonios usque fugere coacti sunt. Et tantus perfidis animis, hac clade, timor incussus est, ut duces relinquere, & domum abire decernerent, iterum contrarium persuasi à Belese, Deorum spondente auxilia. Quibus fidentes, cum morantur, de adventantibus Bactrianorum ad Regem auxiliaribus copiis nunciatur. Has ad deficientem adducendas esse Arbaces censuit; vel consiliis; vel armis. Sed Bactriani vana libertatis spe delusi, sponte se prioribus junxerunt. Ignorans hæc Sardanapalus, in memoriam superioris fortunæ, epulis cum suis intentus, quas ex sacris, militibus concesserat, ab Arbace, qui per transfugas id resciverat, nocte invasionem patitur, qua multis suorum perditis, fugâ sibi consuluit. Ita fugatus Rex, ducem Exercitus relictum, cum Salamenum Uxoris fratrem constituisset, urbem sibi custodiendam sum-

fit.



sit. Hoc Duce adeo infeliciter pugnavit miles regius, ut duobus  
 pugnis commisis, quando & ipse Salamenus interiit, pauci ex iis,  
 qui vel ferro & armis occisi, vel in Euphratem præcipitati erant, su-  
 perstites in urbem redierint. Sardanapalus interea nihilo minus ur-  
 bem fortiter defendere decrevit, quamvis suorum jam adhuc defice-  
 rent, misis tamen liberis, quorum tres filios & duas filias habebat,  
 ad Cottam Paphlagoniæ Pæsidem, ut Diod. testatur, sibi præpri-  
 mis carum, accersitisque iis, qui nondum defecerant, fretus oracu-  
 li responso Majoribus dato, Ninum nunquam capi posse, nisi Ti-  
 gris hostis ejus existeret, quod vix futurum speravit, de auxiliis ta-  
 men in ferenda obsidione sollicitus. Tutus hoc modo quasi noster,  
 omnibus ad obsidionem ferendam necessariis sua cura illatis, duobus  
 integris perduravit annis, & tertio demum, continuis imbribus,  
 cum fluvius alte supra modum excresceret, & murum ad stadia vi-  
 ginti dejiceret, jam, de Oraculi veritate non dubitans, tempus adesse  
 ratus, totus desperavit. Et ne in Hostium potestatem perveniret,  
 pyram magnæ magnitudinis in regia fieri curavit, atque in eam or-  
 natu omni, & divitiis, quas possidebat insignes, delatis, Ipse cum  
 uxoribus & Evnuchis cremandum se injecit. Cum viveret hoc sibi  
 epitaphium poni jusfit, ut Suidas, non quidem in Nino quod Mat-  
 thiæ ait, sed in voce Σαρδανάπαλος, ita: Ἐν Νίνῳ δ' Ἰπὶ τῷ μνήμα-  
 τῷ αὐτῷ, Ἰστ' Ἰπὶ γέγραπται. Σαρδανάπαλ' ὁ Ἀνακονδαραγῆξ  
 παῖς, Ἀγχιάλον καὶ ταρσὸν ἐν ἡμέρῃ μιῇ ἐδάματο, σὺ δὲ ὦ Ξένε, ἔθιε,  
 καὶ πίνε, καὶ παῖζε ὡς τάγε ἄλλα τὰ ἀνδρώπεια σὺκ ὄντα τέττα  
 ἄξια, τέττεσι, τέ τῶν δακτύλων ἀποκροῖήματ'. Sic contraximus  
 historiam ex Diodoro Siculo præprimis Biblioth. hist. l. 2. c. 7. Athe-  
 næo deipnos. l. 12. p. 528. sqq. Suida in vocibus κονοσκογκόλορ  
 & Σαρδανάπαλ', Justino &c. Quoniam Græci Diodori exem-  
 plaris compos fieri haud potui, latinè tantum ejus verba in ipsa quo-  
 que Disputatione adducere potui, quod te L. B. duxi monendum  
 esse.

.§. 2.

De nomine Sardanapali, multa in medium adducere, quia  
 ad Scopum nihil facit, ad nos non pertinet, an vel Sardanapalus vel  
 Sardanapallus cum Eusebio scribendum sit, discussum videri potest.



apud Gerh. Vosium in notis ad Velleji Patere. lib. i. c. 6. Dn. Matthiae in Theatro ex Ciceronis l. 3. de republ. Sardanapallus scribitur, ut sit & nomine & vitiis deformis. Est enim pallus & tripallus in obscænis; addit tamen: acrioris iudicii Criticis hæc sententia haud probatur. Plenum respectu Sardinapali nomen esse superbia, idem asserit, cum id Sardanapalum sibi ipsi imposuisse, non probet. Et si ipse nominis auctor, quis in Rege taxabit? Inter laudes potius referrem, quandoquidem magnificum tale nomen sibi ad præclara poterat esse stimulus, & subditis ad majorem venerationem non spernenda occasio. Laudabilem Sardanapalum dicimus, non, quod velimus comparatum eum cum optimis aliarum gentium principibus, neque quod velimus mala ejus gesta exemplum constituere, quod Princeps aliquando sibi imitandum sumat; quis enim commendare aufit, nostri intemperantiam? Laudabilis tamen Assyriorum Princeps audit, non quidem, quod in eo regno illo meliores non agnoscamus; sed quod in multis, quæ ipsi plerumque vertuntur vitio, imperii sui rationem ita habuerit, ut Conservator sui status non malus exstiterit, in quo spernendus non est.

§. 3.

Inter ea quæ attentione digna putamus, locum mereri existimamus, præclaram Sardinapali stirpem. Ex regio ortum esse sanguine, insigne Principis decus est & ornamentum, habet, quo gloriatur, quod imitetur. Uti paternæ virtutes nunquam non animum addere necesse est. Nemo enim qua parte minora sua, Majorum vult esse meritis, quæ eum prædicata audit inter posteros, calcar additur, ad conservandum non modo tale imperium; sed & ampliandum, non vano quidem consilio, ut regimis imperitus, sed ab incunabulis arte regnandi imbutus. Et quod dubium superest? an ille, qui ab ipsis juventutis annis regnare didicit, arcanisque consiliis interfuit, & omnia ad gerendum Sceptrum necessaria, necessariâ experientia acquisivit, jam melius alio, cui id fortuna denegavit regnare noverit? Non effertur subita fortuna, quæ alios sæpè, qui impotentes sunt ferre tantum honorum onus, eò magis deprimit. Mortalium hic certe genius est, ut in se pari hæctenus, vel magis minori, quod vereatur, & quare obediat, raro inveniat. Egregium ergo novo imperanti, in continendis hominum animis, ne quid faci-

ciendo-



ciendorum omittant, vel prohibitorum patrent, adjumentum est, si à Majoribus hæreditario quasi jure prudentiæ & aliorum virtutum, opinionem inter suos possideant, quod non vulgus solum judicat. Illustrant hæc magis, quæ Ammianus Marcellinus l. 14. c. 1. p. 2. edit. Gronovii, de Cæs. Gallo *qui ex squalore nimio miseriarum ad principale culmen insperato cultu provec̃to, ultra terminos potestatis delatae procurrit & asperitate nimia cuncta sedavit.* Hæc causa ejus fuit male administratæ reip. ferre fortunæ dona nimia non poterat. Et ille amor cum maximè subditorum sit, qui metu mixto est, non parum ad eum inducendum facere stirpis præcellentiam, quis non videt? persuadere facile est subditis, persuasi ferè sunt, ab eo, quem tam diu & tantum coluerunt, non posse non venerabilem generari sobolem. Inde est, quod tot olim Principes; vel ab ipsis Diis, vel quod minus quidem est, ab Heroibus genus suum duci veluerint. Alex. M. Jovis Ammonis se prædicavit Filium, quod testatur Curtius l. 4. c. 7. & quod Mater Olympias genus ad Achillem referret & ad Herculem Macedones, Alexandro puero exempla & incitamenta gloriæ interpretatur, Cl. Freinsheimius in supplementis ad Curtium c. 1. De Amazonibus ait Justinus l. 2. c. 4. *Et ne successibus deesset auctoritas, genitos se Marte prædicabant.* Imo primi Urbis & Imp. Rom. Conditoris Romuli Mater Vestalis, non temere à Marte se comprehensam finxit, causam fictionis unam addit Livius l. 1. c. 4. ut impudiciæ notam deleret; alteram illam adderem, ut auctoritatem aliquando gemino partui conciliaret. Sævus Tyrannus Maximinus, ad effugendam obscuræ stirpis maculam tantus fuit, ut nullum ignobilitatis suæ conscium, crudelitatis suæ furorem effugere passus sit. Capitolinus in ejus vita c. 8. sic ille veritus ne propter humilitatem generis barbarici à nobilitate contemneretur, cum meminisset, à servis etiam se contemptum esse, ita eos contra se speravit futuros, si Imperator esset. Subjicit mox Auctor: Tantum valet conscientia degeneris animi. Fuit autem de vico Thraeciæ vicino barbaris, barbaro etiam patre & matre genitus. Ex recentiori hystoria illud Francisci I. Galliæ Regis addam. Hic laudatissimus ob insignem fortitudinem Monarcha, vehementer commotus est adversus poetam Dante, qui, Hugonem Capetum sui stemmatis fundatorem, lanionis filium dicere ausus erat, unde librum damnavit & legere eundem suis prohibuit



hibuit, quamvis nonnulli phrasin alia interpretatione mollire conati sint. Conf. Cl. Bayle dict. hist. & crit. tom. 1. pag. 756. in notis lit. z. Sed ne nimis in adducendis exemplis multis sim, pergendum esse suspicor.

§. 3.

Hæc tam præclara origo, Sardanapalo nostro viam ad fa-  
sces imperii Assyriorum planiorem reddidit. Vellejus Paterc. l. 1. p.  
13. edit. Lipsianæ *Semper successor regni paterni fuit Filius*, agit au-  
tem de regno Assyriorum. Ex consuetudine Gentis suæ, per succes-  
sionem legitimè Rex Sardanapalus factus est. Ecce non minimum ad  
boni Imperatoris gloriam, argumentum, sine sanguinis larga effusi-  
one, sine fraude & artibus illegitimis ad clavum collocari reipubl.  
insigne ejus stabilimentum: E contrario, dicta media majus detri-  
mentum. Ex optima republ. optimi, non confirmato quidem ple-  
nè novo rege, in imperatorio culmine, è medio sublatis sunt, & civitas  
talis, iis, quæ in se conservanda & augenda multum conferre pote-  
rant, orba membris, non nihil decrescit. Sic ipse C. Jul. Cæsar an-  
tequam firmo suum imperium talo niti videret, quot non bonis rem-  
publ. Rom. privavit? Imo ipse Magnus Pompejus morte sua, illius  
ambitioni satisfacere debuit, & quid hic exemplis illustrem? Omnis  
ævi historiæ testes sunt. Et ipse Machiavellus c. 8. p. 34. Princ. de  
Agathocle Siculorum tyranno, qui hoc modo imperium rapuit,  
ita pergit ex interpretatione Conringii: *Ceterum virtutis nomine  
haud quaquam est cobonestandum suis civibus mortem attulisse, Ami-  
corum proditorem egisse, nulla fide, nulla pietate, nulla religione fu-  
isse. Imperia sane hæ rationes parare quidem possunt, at gloriam  
non item.* Ego adhuc adderem difficillime conservare posse. Neq;  
enim tam facile odium illud extinguitur, quod ex cæde Parentum &  
liberorum, Amicorum & spoliatione bonorum & aliis, ortum est,  
quod etiam insequantur beneficia, ut sibi id persuadet passim Machia-  
vellus, non difficulter recrudescet odium, quod tam altas radices egit.  
Conringius de prudentia Civ. c. 2. p. 14. in justis vero & turpibus con-  
siliis metum quidem, amorem autem populi nunquam comparave-  
ris. De fraudibus tacebo, quibus quoque invadere rempubl. po-  
tius solent, quam legitime occupare, humilioris id esse potius  
& plebeji ingenii, quam præclari & heroici, quivis dijudicare potest.

Et si



Et si eodem modo, quo acquisiverunt, regna amittant, quis mirabitur? Singularis hujus quædam species est, & indignissima, quæ cum magnanimo stare nequit, quando imperii Candidati turpiter ita meriantur, ut plus offerenti, non habito respectu ad merita, & virtutes Principem decentes, fasces præferuntur. Hoc modo partum imperium, utriqve mercantium indignum est, Mercator Princeps de suo cogitabit resarciendo damno; & subditus non poterit colere neque fidere cui se vendidit. Sic Rom. Imperium jam decrescens plus offerentibus pecuniæ patebat, & ruinæ erat proximum. Et qui consistere poterit? Ut enim prioris ordinis Tyrannus, non facile sopire potest odium, quod cæde subditorum sibi acquisivit: sic pudebit aliquando venditatores se turpiter, omnis libertatis spem abjecisse. Et cum non, nisi à malis, vendantur ut plurimum imperia, quis benè pro Emptore pugnabit? Quam difficulter tam facile parata imperia conserventur, iterum ipse Tyrannidis Doctor Machiavellus c.7. Principis agnoscit: *Qui fortune duntaxat afflatu ex privata conditione principes evadunt, illi nullo istuc labore perveniunt, at plurimo negotio sese in principatu sustinent.* - - *Hi sane sunt, quibus aut pecunia, aut donantis cujuspiam liberalitate, aliquis obvenerit status reipublicæ.* Cum hoc consentit Hippolytus à Collibus de Princ. c.8.p.44. qui sic in genere de illis imperiis loquitur quæ solo fortunæ fundamento nituntur. *Novus certè principatus, qui repente nascitur, ut cætera quæ repentinum ortum habent, nec adhuc radices egerunt, ferè adverso quoque tempore extinguetur.* Omnis animorum inter Imperantes & Subditos conjunctio hic exultat, sine qua civitas cadaver est sine spiritu, & facile erit cuivis externo invasori pro lubitu agere, ubi Princeps subditorum, hi Principis ruinam meditantur. Sardanapalus ab hoc gravissimo vitio immunis est, & ni alia obstarent, nemini laudatissimo cederet. Majoribus suis debet Sceptrum, quod justo successionis tenet titulo. Et non apprehendere licet solum imperium, consensus requiritur inter societatis membra. Conf. Illustr. Puffendorf. l. 7. de I.N.&G. c.7. §. 2. Consuetudo gentis erat, ut semper successor regni paterni foret filius, ut ex Vellejo adduximus. Nullus mori repugnauerat longo satis tempore. Successionem maximè, præ aliis modis, civitati esse accommodam, multi asserunt ex politicis, multis incommodis liberam esse, quæ cæteros premunt, & nobis videtur, & quibusdam non



spernendis gaudere privilegiis. De reverentia, quam ex hereditate novi imperarantes possident, modo quaedam diximus. Et parentes dum norunt suum imperium, aliquando fore liberorum, nihil ad conservationem & ampliationem negligere operæ, quis negabit? quod fortè non sperandum, si aliorum imposterum suo studio parta, futura, senserint, imprimis si mali sint, de tumultibus & damnis rerum publ. quæ interregna causantur lubens nihil dicam. Neq; temerè vel casu factum esse reor quod plurimæ gentes, morem jam suum fecerint. Et hæc de iis, quæ naturæ benignitate magis quam propria virtute possedit, nunc hæc subjungimus.

§. 5.

Sine maximo reipubl. periculo vix fieri posse in moribus & consuetudinibus inveteratis mutationem, diligenter inculcat Joh. Stobæus Sermone 38. de patria p. 229. Postquam enim Zeleuci legem, qua funi cervices eorum adjudicavit, qui in legibus patriis aliquid mutare, vel innovare volebant, adduxisset, ita pergit: ἄδὲν δ' ἤτιον τῶν νόμων καὶ τῆ ἔτη Φυλακτίον τάχα, ὄντως πατρία, καὶ τάχα πρὸ πρῶτον καὶ τῶν νόμων αὐτῶν. Conf. quoque sermo 42. de legibus & consuetudinibus. Prudentia Sardanapali, quod id in principis moribus nihil mutaverit, elucet. Auctores, qui in describendis gestis ejus operam navarunt, testes sunt. Et ut ab ipsis quæ domi sunt capiamus initium, videmus quidem statim quam invehantur in eorum mollitiem, cujus non minimum argumentum Itolam muliebrem esse putant, unde tam severe ipsum increpant. Conf. Diod. c. l. & præprimis Justinus c. 2. l. 1. Sed innocentem hic esse Sardanapalum, propter morem gentilitium, videtur probari posse ex ipso Justino, qui in cap. præcedente, talia de Semiramide narrat: *Igitur brachia ac crura velamentis, caput tiara tegit, & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri jubet, quem morem vestis exinde gens universa tenet.* Non omnino habitus hic fuit virilis, quem noviter induxit Semiramis, & qua universam gentem vestiri voluit, & qui jam Justiniani vel Trogi tempore perduravit. Videtur Itaque Justinus hoc in loco reprehendere in Sardanapalo, quod alio ex lege servari agnoverat. Splendidior, a vulgari, vestem, qua distinguitur merito ab inferioris fortis hominibus, quis in rege non admittet? Splendor decet Regem regius, & ut in omnibus, sic quoque hac in parte præ cæteris emineat. Inter omnes gentes hoc

com-



commune habetur, ut Splendore vestitus Princeps quoque sit conspicuus, reverentia inde oritur, præprimis inter plebem. In Salomone optimo Judæorum Rege, quoniam S. litteræ admittunt splendidissima omnia, nullus facile improbabat. Colum, cuius Justinus meminit, alii reticent.

§. 6.

Quod à nemine se videri voluerit Sardanapalus, pro argumento quoque adhibent, sed magis priore infirmo, & injusto. Diod. l. c. postquam malum eum satis depinxisset, ita pergit: Nam præterquam, quod à nullis exterius conspiciebatur, vitam muliebrem duxit &c. non videtur satis fluere, Sardanapalus se intus continuit, inde malus Assyriorum Princeps est. Athenæus l. 12. dipnos. pag. 528. de Ninya: καὶ ἔτιως ἐν ἔνδον μένον, καὶ τροφῶν ὑπὸ ὠδενὸς ἐαροῦτο, εἰ μὴ ὑπὸ τῶν εὐνέχων καὶ τῶν ἰδίῶν γυναικῶν. En ut hi Assyriorum Regum mos fuit, jam à Ninyæ, Semiramidis filii & successoris tempore, sat diu, per mille trecentorumq; annorum spatium. Sic Diod. cap. antec. Sed omne vitæ tempus reclusus in regia conspectumq; hominum vitans securus traduxit. Conf. etiam Justinus c. 2. Sic mos antiquissimus. Iterum Athenæus ex Ctesia Cnidio de Persicis: καὶ πάντα μὲν φησὶ, τῆς βασιλεύσαντας τῆς ἀσίας πρὸς τροφὴν σπαρδάσαι, μάλιστα δὲ Νίνυαν τὸν Νίνυ καὶ Σεμιραμιδὶς υἱόν. Ninyæ potius si cuiquam alii, effaminatæ mollitiei, quam Sardanapalo, debetur mos. Neque sufficit dicere emendandum à Sardanapalo malum morem fuisse. Non puto. Inveteraverat jam & longo satis temporis intervallo, eo deventum erat, ut subditi crederent magis, Deos se colere quam venerari Reges. Alenda & fovenda erat hæc persuasio, quoniam accommodatissima erat, conservandæ reipubl. rationi. Requie diuturna & tranquillitate Assyrii fruebantur, & externos hostes ignorabant. Nil inde tam curandum erat Regibus, quam ut in ea auctoritate, in qua successu temporis confirmati erant, persisterent, ad quod hoc utebantur optimo medio. Non dissimulat hoc Diod. antec. c. Vita vero Principis exterioribus ignota voluptates eorum occultas reddit, & tanquam invisibilem Deum, ne verbo quidem, quis blasphemare principem audet præ timore. Ipse Aristoteles l. 5. de republ. c. 11. ad conservationem talis reipubl. status requirit, ut Princeps peregrinos prius ad convivium admittat, & consuetudinem, quam Ci-



ves, ὡς τὰς μὲν πολεμίους, Cives, τὰς δ' ὅν ἀνθρωπιεύουσιν, Exte-  
teros. Ut cuique regno sua sunt, quibus consistit, sic Assyriorum  
Tyrannis occultatione Tyrannorum stat firmior, quod laudabiliter  
Sardanapalus neque nescivit, neque neglexit.

§. 7.

Ab observatione à Majoribus inductæ consuetudinis Sardana-  
palum commendare non possumus desinere, nisi de militari prisco  
more quædam adhuc dicamus. Diodorus Auctor est: Ad securi-  
tatem imperii, ut à subditis timeretur, (Ninyas) annuatim certum  
militum inducebat numerum, ac eorum Ducem singulis provin-  
ciis imperabat. Exercitus cum extra urbem convenisset, Ducem  
cuique nationi prudentissimum eorum, qui secum erant, constitue-  
bat. Acto anno copias, remisso domum priori milite, rursus à Pro-  
vinciis petebat l. 2. c. 6. conf. Suidas in voce *σαρδανάπαλος*. Hic  
mos derivavit in posteros à Ninia, profecto ab imperii ratione non  
alienus. Contineri hoc modo poterant & plebs & miles, nullum  
ab utroque Regi periculum. Nullus subditorum hiscere quidem  
poterat, non tardare ausus quisquam est, ubi jam mandatorum ex-  
actores versantes ante oculos conspiciebat, quid moliri poterat? Imò  
Exercitus Duces ob temporis angustiam, quo imperabant, vix sibi in-  
notescere poterant. Temporis autem longinquitas, peritiam rei  
bellicæ & animos Ducibus auget. Aristoteles de republ. l. 5. c. 11. e-  
dit. Casaub. ad salutem tyrannidis apposita esse agnoscit, *πάντα  
ποιεῖν ἕξ ὧν ὅτι μάλιστα ἀγνώθεις ἀλλήλοις ἔσονται πάντες ἢ γὰρ  
γνώσις* addit *πίστιν ποιεῖ μάλλον πρὸς ἀλλήλους*. Conf. ipse Di-  
od. ante citat, qui omnia hæc prolixè satis exponit. Mutare itaq; mo-  
rem prisicum hunc Sardanapalo minimè conducebat, unde pruden-  
ter reliquit, quod itidem testatur Diodorus c. seq. quando ait, quod  
Arbaces fuerit Dux copiarum, quæ singulis annis in Ninum à Medis  
destinabantur. Et non multis interjectis: Cum tempus missionis  
exercitus advenisset, de more in patriam dimissi sunt cæteri. Arba-  
ces ad Medos reversus &c. Optime pro ratione imperii. Sic erant  
jam in imperio constitutæ res, ut non facile ab externis hostibus sibi  
mali quid portenderent, quamvis paratus jam, etiam non bene insti-  
tutus exercitus, illis terrorem incutere posset, non tamen ad resi-  
stendum peregrino invasori tam erat necessarius, requirebatur au-  
tem maximè ad terrendos & continendos subditorum animos. Ta-  
lis



lis igitur requirebatur, qui ad id sufficeret, ad quod alebatur præcipuè,  
& à quo ipsi nihil mali timendum esset, qualis fuit Sardanapali, im-  
peritus, quoniam semper novus, ita expertus rei bellicæ, ut nihil, nisi  
obedire nosceret, unde magna moliturum esse minus metuendum e-  
rat. Ad id tamen aptior, ut adversus tyrannidem aliquid meditates,  
debita poena multaret, & molimina supprimeret, antequam ad ma-  
turitatem pervenire possent. In deducendis his multus est Diodorus.  
Nobis sufficit, si appareat, laudis Sardanapali hoc evidens iterum ar-  
gumentum esse.

§. 8.

Acta bona non memorantur ejus plurima, sed unicum tantum:  
nempè quod uno die Tarsum & Anchialem Ciliciæ oppida  
condidit. Verba Matthiæ sunt: Bonum hoc esse & laudabile fa-  
ctum, quod inter Sardanapali non postremum locum obtineat, lu-  
bentissime admittimus, solum hoc esse, ex dictis & dicendis im-  
peterum, concedere non possumus. Sed quomodo uno die duas præ-  
stantissimas Urbes condidit? quod Autores quidem asserunt. Anne  
Sardanapalus conditor est? Quod quidam negant de Tarso  
Strabo l. 14. Geograph. ἡ δὲ ταρσός, κεῖται μὲν ἐν πεδίῳ, κτίσμα δὲ  
Ἰσὶ τῶν μετὰ τρεῖς πόλεις πλανητέων ἀργείων ζήτησιν ἴδῃ. Solinus  
Polyhist. c. 15. Theseo Tarsum vindicat. En verba: *Matrem Urbium  
habet (Cilicia) Tarson, quam Danaïes proles nobilissima Perseus loca-  
vit.* Quid ergo nostro super est? Uno die, inquit Erasmus in ada-  
giis chiliad. 3. cent. 7. adag. 27. p. 785. edit Froben. 1541. *Tarsum pari-  
ter & Anchialem, duas Ciliciæ civitates obtinuit.* Quod, quid mirum  
esset? de instauratione sermonem esse putant alii. Olivarius ad  
Solini hunc locum p. 109. *Et fieri potest, ut quosdam de prima urbis  
fundatione, reliquos de instauratione & ampliatione locutos fuisse  
putemus.* Anchialem Japeti filiam Anchialem urbem condidisse, ex  
Athenodoro refert Stephanus Byzantinus de Urbibus in voce ἀγ-  
χιάλη; Sed paulo inferius: *Τινὲς δὲ Φασὶ σαρδανάπαλον δύο πό-  
λεις κτίσαι ἀγγιχίαν σὺν ταρσῶ. & de Tarso in voce ταρσός Ἰσὶ  
δὲ ἀποικίαν ἀργείων κτίσμα σαρδαναπάλης.* Eodem loco ait  
Auctor esse adhuc aliam urbem Bithyniæ Tarsus dictam imo & χωρί-  
ον regunculam Bithyniæ. Athenæus quando probare vult non ἀ-  
πρακτον Sardanapalum fuisse, hanc rationem adfert, quod uno die  
Tarsum & Anchialem condidisse dicatur, cum omnibus qui Sardana-



palo tribuunt consentit & Suidas tam in voce *ταρσός* quàm *σαρδαν*. Verum quidquid sit; siue obtinuisse uno die Sardanapalum cum Erasmo dicas, quod tamen vix admittunt citati Auctores, siue instaurasse; siue condidisse eum velis, semper firmum argumentum est. duas enim tam præclaras & celebres urbes imperio adjicere, quid præstantius? Ipse Justinus primum Semiramidis præclarum factum æstimat, quod contenta non fuerit, acquisitas viro regni terminos tueri, sed Æthiopiara quoq; adjecerit. Quare igitur in Sardanapalo hoc reticet, in quo Semiramidem bona ex parte æquiparavit? namq; haud exiguum incrementum est, quod regno inde accrevit; Matrem urbium Tarsum nominat Solinus, & Stephanus *Ἰπσημαλίτην πόλιν κιλικίας*. Jam instauratorem modo dicas Sardan. quod aliquando conditorem valere probat ex Vellejo Pat. l.2. c.3. §.2. Rupertus in Observ. ad h.l. *paulo ante Haletes, Sextus ab Hercule Hippotis Filius, Corinthum quæ antea fuerat Epbyre condidit*. Conf. pluribus Auctor. Epithaphium docet: *ἔδειμς μὴ ἡμέρα*, ad quod Berkelius in notis ad Stephanum: Hoc si intelligatur de absoluta consumatione ædificationis, uti verba videntur indicare, verum est. Posse hoc loco esse etiam Synechdochicam locutionem putamus, ut unus dies progressum insignem in ædificando, significet, ut quam cito urbes perfectæ sint, indicet. Enimvero de talibus nos non decet esse nimis sollicitos, Auctorem ponamus Sardanapalum, & facile facti præstantiam conspiciemus. Hoc modo non magnum inter suos tantum nomen adeptus est, sed etiam omnes, quibus commercium aliquid intercedit. Et per bonum hocce medium est, nominis immortalitatis acquirere. Desint rerum memorabilium scriptores, per traditionem Majorum, apud minores erit notus Conditor. Imo ad hostium invasiones arcendas, non valent tantum urbes & munimenta, hominum ac civium maxime augent commodum, tam ut inter se alter alterius adjutor necessarius sit, quam ut cum aliis nationibus commercia instituant, ad quod ordo certus requiritur. Inde quod Ninus & Semiramis ex ædificatione Nini urbis nacti sunt, & quamdiu Roma à Romulo conditore dici non desinet, tam diu nostro manet ex Tarso & Anchiale sua gloria.

§. 9.

Domi vidimus blandum & jucundum, in imperio bonum & pru-



prudenter tempore pacis, nunc in bello constantem considerabimus  
& fortem. Non attentendus videtur hic Justinus: quo ille audito,  
non ut vir regnum defensurus, sed ut metu mortis mulieres solent  
primo latebras circumspicit, mox deinde cum paucis & incompositis  
in bellum progreditur. Quam praesente animo turbis jam oriundis,  
occurreret, & quomodo se adversus eas muniverit, videre melius  
est ex Diodoro: Cognita defectione, Sardanapalus aliarum nationum  
exercitum adversus desciscientes ducens, commisso certamine hostes  
superat. Praesens hic erat animo Sardanapalus, & nullam protrahebat  
moram, cum audiret, aliquid contra se moliri, Medos & Babylonios.  
Diu deliberando & intempestive, tempus maxime opportunum elabi,  
erat facile: Praeter perfidas itaque duas nationes, educendae erant  
aliae magis fideles, sine commoratione, ut flagitabat rerum constitutarum  
ratio, praesentibus enim jam ante fores hostibus, deliberationis  
longae tempus ademptum erat, & nisi adversariis occasionem dari  
vellet, se magis muniendi & numerum augendi, quod facile fieri  
posse, dubitari eo minus poterat, quo magis spem libertatis & imperii  
dulciorem & optabiliorem esse noscebat quilibet. Et ne quoque  
hostibus audendi majorem fiduciam adderet, sine cunctatione,  
non expectatis omnibus, quae expectare poterat, auxiliariis, rebelles  
aggreditur. Forte & prudens consilium. Sicut enim nimis in agendis  
praeceps se praecipitat, sic nimia cunctatio, temporis jactura,  
exitium affert. De Fabio Valente Tacitus lib. 3. hist. p. 283. edit. Lips. 4to.  
*Mox utrumque consilium aspernatus, quod inter ancipitia deterrimum est, dum  
media sequitur, nec ausus est satis, nec providit.* Cum nullis interjectis  
praemisisset: *Ipse inutili cunctatione, agendi tempora consultando  
consumsit.* Et praeclearissimus Atheniensium Dux Miltiades contra  
Darium Persam Athenas defendens, hoc optime uti scivit consilio: Nam  
cum Lacedaemonii auxilium procrastinarent, ille decem millia suorum.  
Corn. Nepos Plataensium adventu decem millia armatorum completa  
demum esse, ait, & auxiliares mille, contra sexcenta millia hostium  
ducere maluit, ut videre apud Justinum l. 2. c. 9. Et eleganter  
Corn. Nepos c. iv. §. 5. in ejus vita haec illustrat: *Unus Miltiades  
maxime nitebatur, ut primo quoque tempore castra fierent, id si factum  
esset, & civibus animum accessurum, cum viderent de eorum virtute  
non desperari, & hostes eadem re fore tardiores, si animadvertent  
audere*



*audere adversus se tam exiguis copiis dimicare.* Ita erat cum nostro, rebelles sine dubio sibi persuadebant, Sardanapalum, quem totum in sceminam mollitie commutatum putabant, nihil contra se aufurum, sed prima statim irruptione desperaturum esse, quod & suos forte credere fecerant. Hanc opinionem ipsis eximere oportebat, quod fieri non poterat, nisi ab exordio statim de virtute & virili suo animo constaret, quod sine perturbatione hostium fieri non poterat, ut eventus testis est. Non possum quin coronidis loco huic paragrapho affigam Achæorum legem, quam illustrat pluribus exemplis Mart. Schookius de republ. Achæorum p. 36. sq. qua statutum est: Ne ultra diem tertium concilium trahatur, at eo omnino decretum fiat,

§. 10.

Tempore, quo hostibus occurrit, nihil peccatum esse à Sardanapalo, jam visum est; modus, quem secutus est, spectandus nunc sese offert. Malum ne latius irreperet, præmium illi statuit, qui sibi rebellionis Auctores e medio tolleret. Diodorus: Instructa acie, per præconem ei, qui Arbacem, aut babylonium Belesem occidisset, talenta auri ducenta, qui vivos tradidisset, duplex præmium ac Mediæ præfecturam pollicitus. Sic in herbis suppressendum malum erat. Duo hic præcipue sunt, quæ attentione digna sunt, alterum quod occidi rebellionis Duces voluerit; alterum quod præmo ad faciendum, suos movendos existimaverit. Magnamini Principis factum. Noverat noster, suppressis duobus, facile fore sine cæde & sanguine seditiosos in ordinem redigere. Insignis erga suos amor, qui hic elucet. Funderat jam prima vice hostes, inde ne tempus ipsis daretur, longius se explicandi, statim promissio facta, ut delerentur turbarum Machinatores; omnes perdere noluit, quamvis jam de novo instructa esset acies & miles ad pugnandum paratus. Hostis quidem, non tamen volebat ulcisci in misera plebe, quæ ex cæco impetu, & decepta, fecerat, quo culpa aliena magis, quam sua peccaverat. Tullus Hostilius Rex Romanor. in concione ad populum Rom. cum Albani, duce Metio Suffetio defecissent, ita loquitur: *Nec ea culpa, quam arguo, omnium Albanorum est, duces secuti sunt.* Et pergit Livius: *Inde civitas data plebi, primores in patres lecti, dux Metius solus quadrigis laceratus.* Conf. Livius l. i. c. 28. Sic quoque eorum exitium voluit, à quibus malum omne derivatum erat, & à quibus nunquam se tutum fore prænoscebat. Ne enim quid im,  
pru.



prudenter suscepisse viderentur, hanc maculam novo tumultu se  
absterfuros, maxime erat probabile, de quo minus dubitare poterat,  
si jam noverat, ex Deorum consilio illos facere. Et concepta semel  
in animo imperandi dulcedine, vix elui aliter potuit, quam  
ipso vitæ imposito termino. Imo diffidentiae finis nunquam sperari  
certo poterat, quin quicquid acturus erat læsus, in perniciem sui  
interpretaretur reus, & ille indignationis effectus semper metueret.  
Inde optimè sibi consulebat, quando de tollendis è medio hisce duo-  
bus, studeret. Valerius Max. l. 9. c. 6. *occultum & insidiosum ma-  
lum perfidia, latebris suis extrahatur, cujus efficacissima vires sunt  
mentiri ac fallere: fructus in aliquo admisso scelere consistit, tum  
certus, cum crudelitatem nefariis vinculis circumdedit, tantum in-  
commodi humano generi afferens, quantum salutis bona fides præstat.*  
Quo citius & certius à malo liberaretur suis præmium constituit. No-  
verat Sardanapalus non prius quid moliri mortales, quam præmiis  
incitati, quæ periculi magnitudinem æquare viderentur. Ducenta  
ergo auri talenta interfectori perfidorum constituit, vivos traden-  
ti duplum cum Mediæ perfectura. Prudenter & justè, ne dum gra-  
tis videretur bonus esse, deterreretur quis ab obeundo munere. Sed  
cur tam diversa fuerunt munera? cur vivos potius Hostes sibi tradi-  
voluit tanto pretio, quam mortuos? Non profecto frustra neque  
sola vindictæ cupidine id factum esse putem, majus quid subesse vi-  
detur. Sic enim Sardanapalus datis in manus suas Hostibus, in ter-  
rorem omnium, quorum forte animos eadem occupaverat malitia,  
publice & gravissimè in eos animadvertere poterat, ut non tantum  
debitas darent perfidiæ poenas; Sed & hi, qui sceleris non minus  
erant conscii, ne quid simile tentarent impostero, melius sa-  
pere alieno malo discerent. Adductum ex Livio Tulli Hostilii ex-  
emplum, à nostro non differt: Ille enim Metium Suffetium Albani  
fæderis ruptorem, non clam occidit, sed vocato ad concionem utro-  
que exercitu, sententiam de perfido tulit, & postquam, quid deli-  
quisset, satis explicasset, inquit: *audeat deinde alia alius, nisi in hunc in-  
signe jam documentum mortalibus dederò.* Ad idem respexit sine du-  
bio noster, quando præmium duplicavit illi, qui vivos rebellionis  
Machinatores traderet.

§. II.

Numero bellorum Sardanapalus cum multis certare nequit,  
nec opus est. Nino & Semiramidi pugnandum erat, ut constituerent

C

Assy-



Assyriorum monarchiam. Alexander primus Græciæ Tyrannus hasta & clypeo semper indutus, Macedonibus omnia præter belli vacationem concessit. Et C. Julius Cæsar supremam in Republ. Rom. potestatem ita obtinuit, ut primus Romulus condidit. Sed ita requirebat ratio, conditores rerumpubl. audiunt, & Monarchiarum. Sunt clari hi Imperatores, unde partim magni nomen tenuerunt, & inter ipsos Deos relati sunt, virtute nostrum in aliis quoque vincere facile largior; neque tamen inde omni laude indignus. Numa Pompilius inter Romanos Reges clarus non ob congressuum cum Hostibus multitudinem, sed magis ob perpetuam tranquillitatem & institutum in parto imperio ordinem. Oct. Cæs. Augustus, qui sapientia sua atque solertia perculsum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus, Flori hæc verba sunt, magnitudine nominis nihil cedit Cæsaris ferocia. Salomonis gloria Davidis non cedit; cedit autem bellorum numero. Et ut ad nostrum revertamur, qui bellorum numero minor est, sic enim non requirebatur, hereditario jam jure possidebat imperium, quod sine tumultibus hætenus conservavit. Ita tamen bellicarum virtutum non expertus fuit, ut imminente periculo trepidus hostium ferociam metueret, utque metu mortis mulieres solent, primo latebras circumspiceret, ut quidem Justinus id persuadere vult; sed unos hostes, ut regnum defensus, ter prostravit, tam fortiter & prudenter, ut in his ternis pugnis nihil peccatum esse appareat.

§. 12.

Virilis & intrepidi animi Sardanapalum nunc in ipsam comitamur arenam. Diodorus: Cognita defectione Sardanapalus aliarum nationum exercitum adversus desciscentes ducens commisso certamine Hostes superat. paulo post: Cum denuo ad campos fortunam experturi descendissent, Sardanapalus cum omnibus copiis occurrit. Et iterum commissa rursus pugna Rex superior fuit, castrisque hostium potitus usque ad Babyloniam infecutus est. Ter descendit in arenam cum Hoste, ter victor abiit. Ipse Dux & Rex Sardanapalus erat. recte, regi interesse pugnae non semper est prohibitum, neque tamen semper convenit. Quantum virium reipubl. ex bono Duce accedat, non obscure innuit Titus Livius l. 2. c. 39. p. m. 73. ut facile appareret, ducibus validiorem quam exercitu rem Romanam esse. Conf. Machiavellus discurs. de republ. l. 3. c. 13. Cavendum Ducibus est, ne temerè fortunæ ludibrio se exponant, ne dem-

pto



pto capite corpus mutilum corruat, fortunæ exitum aliquando attendere decet, ut, in cuius inclinatura partes, prius appareat. Imo pugna ita sæpe numero est comparata, ut ea minus ex animo cedente, odium pariat vel contemptum; ex optato, minus gloriæ. Facile in suspicionem erroris incurrit Bellicus Imperator, unde cautè agat necesse est, & alia sibi magis necessaria peragenda causetur modo, si non habeat, usque dum non adversari sibi fortunam persentiscat. Hunc belligerandi laudatissimum morem in Monarchia Judaica observarunt fortissimi Heroes, Davidis tempore, cum hic contra degenerem filium Absolonem arma capere non renueret, universus populus id ipsi dissuasit, quoniam id periculosum esset, & consultius ducebat, si urbi ille esset præsidio, quoniam tutum magis habebatur 2. Sam. 18, 3 & clarius videre licet ex bello, quod ipsi Davidi intercedebat cum filiis Ammon, & cum obsideretur à supremo belli Duce Joabo urbs eorum Rabbath, tum demum Joab, cum extra periculum versaretur & jam aliqua urbis pars capta esset, hæc Davidi nunciat: Nunc congrega reliquam partem populi, & obside civitatem & cape eam, ne, cum à Me vastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur victoria 2. Sam. 12, 26. sq. & sic res evenit. prudentiæ laudem meretur Imperator, qui quando abesse, quando adesse oporteat, discernere novit, ne utriusque immemor, suæ dignitatis, & suorum salutis, quid peccet. contemptum declinet, & sibi debitam capeat gloriam, quam sine periculo negligere non potest. Rectè Israelitæ ægre ferebant, quod lucernam Israel extinguere velle videretur, Abisai, dum pro suo Imperatore Davide gigantem Philistæum Jesbibenob interficiebat, 2. Sam. 21, 17, Hanc gloriam ita affectarunt quidam, ut maximis periculis se potius exponere, quam eam amittere voluerint, quemadm. Tacitus l. 13. annal. p. m. 158. de Corbulone testatur, quod in Armeniorum castellis expugnandis, id, quod fuit validissimum sumserit, & minora aliis mandaverit. Et de Cæsare Germanico l. 2. p. 32. quod arduum sibi, cætera legatis permiserit, sic debebant gloriam sectari & hostem vincere. C. Cæsaris in prælio contra Pompejum obequitantis, docta & ad victoriam *efficax* vox est, ut Florus ait l. 4. c. 2. §. 50. Et profecto si cuiusquam alius, Sardnapali ratio imperii eum pugnis interesse voluit, utrumque poscebat, contemptus & odii periculum. Adversarii sui in eo toti erant, ut apud populum desidiæ notam ipsi inurerent, atque tyrannidis reum facerent, quod utrumque emendatum iri spondebant, si secum face-



dat Diodorus, responsum Deorum de Nino Urbe non capienda antequam fluvius hostis esset; & expectatum suorum auxilium, hoc vero cur frustratum sit, jam diximus, decebat tamen regem non omnino de fide suorum desperare. Illud meretur laudem ex præscripto Aristotelis l. 5. de republ. c. II. ἤττον γὰρ φοβῶνται τὸ παθεῖν π. παράνομον ὑπὸ τῶν τοιούτων, εἰάν δεισδαίμονα νομίζωσιν εἰναυτὸν ἀρχόντα, καὶ φροντίζεν τῶν θεῶν καὶ ἐπιβλέουσιν ἤττον ὡς συμμαχῆς ἔχοντι καὶ τὰς θεάς. Certo fidebat promissionibus de exitio Nini urbis. Sic poscebant Assyriorum sacra, quæ præprimis secundum Diod. in cap. præced. in Chaldæorum ex astris prædictionibus consistebant. Chaldæi, qui fuerint prolixius docet Diodorus, omnis eorum Theologia ex astris descendebat, unde multa divinarunt, quibus fidem tribuebant certissimam. Et mundum quamvis æternum dixerint, ordinem tamen atque ornatum universorum divina providentia factum esse crediderunt. contra hæc theologiæ suæ fundamenta Sardanapalo peccare non conveniebat, nec fecit. Diodori adducta Athenæus confirmat magis, qui de religione Sardanapali testatur, ubi vivicomburium multis enarravit, subjicit, quod obsidentes funi copiam mirati, sacris eum operari suspicati sint. Imo ipse exitus certissimum indubitatae, in religione sua, fiduciæ argumentum est, quam primum enim Euphrates fluvius Urbem inundasset, fatis cedere non detrectavit. tantam fidem oraculo tribuit, ut vitam sibi ipsi adimere, quam in hostium manus pervenire maluerit, quod futurum ex Oraculi effato certo colligebat, unde urbem, quam tanta constantia, tanta cura & tanta in Deos fide defenderat, relinquere cogebat religio. cujus efficaciam in republ. ostendit Grotius l. 2. c. 20. §. 44. de J. B. & P. multis testimoniis

§. 15.

Perdita urbe cum omni gaza & ipse Sardanapalus periit. Hic invenit, quod mireris, in morte, quod laudet, Justinus. Hoc solo imitatus virum, quo vero? Victus in regiam se recipit & exstructa incensaque pyra, & se & divitias suas in incendium mittit. Plenius historiam enarrat Athenæus, Diodorus causas addit. Vidit enim tempus interitus jam non longè abesse, quod certe ipsi præsa-  
gēbat fluvii effusio, quæ ipsa urbem ita invasit, ut muros ad stadia viginti deiecerit. Oraculi hoc erat effatum, inde desperata salute, ne in hostium potestatem perveniret, pyram in regia ingentem exstruendam curavit, atque se cum omni apparatu regio injecit. Ex Clitarcho quidem Athenæus memorat senio consumptum esse, Syriæ tamen imperio spoliatum. Sed rogam, cum plurimi ipsi tribuant, nos cur eum privemus, non video. Saltem non ingratum fore, & ad institutum facere existimem, si paulo altius repetam, quid de hoc ejus vitæ termino scriptum reliquerint. Athenæus rogam ex Ctesia ad quatuor jugerum πλείθρων altitudinem extollit, cui imposuit lectos aureos centum quinquaginta, mensas totidem, & eas quoque aureas, in cujus vero medio ædificavit cœnaculum οἰκημα pedum centum ex lignis, stratisque in iis lectis, in quibus ipse cum uxore accubuit, pellices autem in aliis. Deinde pergit Athenæus ædificium id trabibus magnis & crassis circumsepivit ne aliunde pateret exitus, & ligna præterea crassa & multa in orbem circumjecit, intusque deposuit auri talentorum mille myriades argenti decies, vestimenta ac purpuram & instituta omnifaria, σολὰς παντῶν δαπνάς. Tum jusit ignem admoveri rogo, qui ante decimum quintum diem non prorsus conflagravit, καὶ ἐκκίετο πεντεκάδεκα ἡμέρας. Diodorus magis per

com-



compendium omnia exhibet: P<sup>er</sup> in regia ingentem exstruxit, superque eam auro argentoque, omni veste in super regia impositis, uxoribus quoque & Eunu- chis in medio pyræ reclusis, se cremandum una cum his in ignem injecit; vel ut Rothomannus interpretatur: Tum concubinis & Eunu- chis in domunculam, quam in medio pyræ exstruxerat conclusis, se, regiamque cum illis omnibus incendio absumsit. Suntne hic, quæ laudem mereantur? Sibi ipsi vitæ terminum fecit; quod tamen sine crimine factum esse quidem existimant, quoniam nec naturæ juri hoc repugnasse neque contra religionem quicquam commisisse colligunt. Manifeste satis Sardanapalus videns pereundum sibi esse, si hostes sui fierent com- potes, ἀναγκαστὲς εἶναι εἰς ἐκείνον θάνατον Suidas in κωνοσκ. se flammis com- mittit, vinculum quo superiori regi, quem agnoscebat, obstringebatur, & soci- etati, juxta illos cessabat jam, dum utrique serviendi potestas non supererat, nihil ergo obstabat, cur non sibi mortis terminum accelerare posset, cum nec Deo- rum gloria, nec societatis utilitas id impedirent. Puffendorffius de J. N. & G. l. 2. c. 4. §. 19. p. 265. miseratione quam aspera sententia digniores esse judicat, qui manus sibi inferunt, quod certitudine moraliter infallibili prævident mortem si- bi paulo post ab hoste cum cruciatu & ignominia adferendam; nec boni publi- ci interesse, cur ad arbitrium alterius moriantur &c. Nobis, quoniam doctio- res de veritate disputant judicium liceat hac vice suspendere. Hebræorum non- nullos adducit Grotius l. 2. c. 19. §. 5. & ex eo Puffendorffius l. c. qui casum ab αὐτοχειρίας crimine excipiunt. Si scilicet quis videat se deinceps in probrum ipsius Dei victurum, id quod Samsonis & Saulis exemplo illustrent. Recte ta- men Puffendorffius Martialis risus reprehendit, quibus illos vexat, qui ne cum ignominia moriantur, mori sua manu cupiant. Melius Epicætetus in Enchiridio c. 16. κρείσσον ἢ λιμῆ ἀποθανεῖν, ἄλυπον καὶ ἀφοβὸν γινόμενον, ἢ ζῆν ἐν ἀφρόνοις παρασσομένον. Sallustius mortem ærumnarum requiem prædicat. Conf. & Se- neca epist. 70. Justinus equidem hoc solo facto Sardanapalum commendare ausus est. De iis nunc quæ huic superveniunt, quæ circumstan- tiæ dici sueverunt, dispiciemus. Rogum ædificavit altissimum, super quo conflagraret. Aliud mortis genus eligere potuisset, non tantis cruciatibus obnoxium; sed nullum tam immoti animi certius testimonium, quare tam multos hac in parte confirmiles habuerit, miratur Casaubonus in animadversionibus ad Athenæum l. 12. c. 7. de aliis alii, à Nostro id factum ex laudabili quadam saga- citate, non obscure videtur ne post mortem hostium fieret ludibrium. Et ean- dem causam fuisse non repugnat, quod Sardanapalus tantam lignorum copiam, ut audivimus ex Athenæo, in rogam suam impenderit. Timuit haud dubiè ne insanus perfidorum furor, in mortui cadaveris relicta irrueret. Non vanè qui- dem hæc ominatus; ex cineribus enim monumentum ignominia se Sardanapa- lo erecturum, quamvis fraudulenter, promisit Beleses, ut testatur Diodorus. In- de fortè præfagiens hujusmodi sibi infelicissimus Rex, ne dignoscatur quic- quam de se & suis, totus consumi voluit. Neque personæ, quam agebat, oblitus Sardan. cum jam ignis vim experiri vellet, ipsam elegit regiam, decebat Regem, cui in pugna perire non obtigerat, in splendidissimo totius regni loco obire, ne hic regiae dignitati dedecus adferret. Ipsam regiam, cum regiis sane opibus secum perire voluit, recte. Non ignorabat Sardanap. quantum id hostibus de- trimenti foret, si auro argentoque nudum imperium raperent. Inde statim ab initio



QX  
Th  
2021

in initio appareret populo, necesse erat, quæ in urbe es, quæ libertatis aliquando gustare fructus cupiebat, frustratâ esset. regiam destructam videbant, quam suis sumptibus sui duces ædificare non poterant. de suis non libenter confert plebs, splendorem tamen in regibus amat, unde facile oriunda erat facti pœnitentia, quæ novo imperio ruinam haud obscure minabatur, & filiis ad gloriam unquam aliquando reditum promittebat.

§. 16.

Epitaphium, quod sibi Sardanapalus poni voluit, Diodorus ipsum com-  
miserat, superest. Strabo illud lib. 14. exhibet: Σαρδανάπαλος ὁ ἀνακυνδα-  
ράξ κ' παῖς ἀγκιᾶλην καὶ ταρσὸν ἔδειμεν ἡμέρη μίῃ, σὺ δ' ὦ ξένη ἰδοῖς, πῖνε, παῖζε.  
Εὐεῖδως ὅτι θνητὸς ἔφυς τὸν θυμὸν ἀεὶζε  
τερπόμενος ἔγω σποδὸς εἰμι, νῆς μεγάλης βασιλεύσας.  
ταῦτ' ἔχω ὅσσ' ἔφαθον, καὶ ἀφ' ὑμῶν καὶ μετ' ἔρωτ'  
τερπνὸν ἔπαθον, τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κείνα λείπειται.  
ἦδε σοφὴ βιότοιο παραινῆσις ἀνθρώποισιν, &c.

Ita Strabo hæc reperta dicit in urbe Anchiala, cum quo consentit Suidas. Athenæus ex Amynta de mansionibus ferè eadem in aggere Nini inveniri scribit, verba in Au-  
ctore videri possunt hinc eadem non transferemus. De varietate hujus inscriptionis Casaubonus in animadv. in Athenæum l. 8. c. 3. p. 583. *Græci eam variis modis expresserunt, prosa alius, alius versu; Item alius totam, alius ex parte, prout namque argumento suo quisque convenire judicabat.* Sed ne in his operosi sumus, quæ ad nos non pertinent, quid vituperatione, quid laude dignum sit, inquiramus. Dn. Matthiæ, maxime approbat a Cicerone citatum Aristotelis testimonium, extat l. 5. Tusc. quæst. c. 37. p. 3603. sq. edit Gronov. 12. conf. de fin. l. 2. c. 32. Ecquid aliud in bovis, non in regis sepulcro scripsisset. Nos tam rigidi censores esse nolumus, excusari posse aliquo modo putamus: Cicero non integrum sed posteriora tantum verba posuit, postquam verò prioribus verbis exposuit Sardanapalus, quantum sibi republ. curæ fuerit, quod probat satis ædificatio duarum tam præclarissimarum urbium, tum demum corporis non minus curam se habuisse fatetur ingenuus, unde forte verborum mens esset: rempubl. ut debui curavi, cujus testes urbes sunt, ceterum & corpori indulsi, quo nihil scivi gratius. cum hisce optime conveniunt hæc Ecclesiasticis c. 8, 15. Laudavi igitur lætitiâ, quod non esset homini bonum sub sole, nisi quod commederet & biberet atque gauderet, & hoc secum auferret de labore suo. Conf. c.

9, 7, 8, 9. Sic permittebat Assyriorum imperii ratio.



6077



Mox, consp  
 desperavit,  
 ces pro mo  
 ma fumere  
 suafit. Bel  
 Arabesque  
 sper adhuc,  
 Ninum, pra  
 tamen reve  
 patefceret f  
 citum, quo  
 urbe septua  
 licitatione  
 qui aut Arl  
 vivos trade  
 sperare jus  
 lio, Sardana  
 rum numer  
 profecutus  
 it, ut de a  
 rent consili  
 um persuas  
 tes, iterum  
 sunt. Et t  
 duces relin  
 persuasi à E  
 morantur,  
 piis nuncia  
 fuit; vel c  
 lusi, sponte  
 in memori  
 facris, milit  
 verat, noc  
 sibi consul  
 menum bla

s promissis non  
 ne, ipse Arba  
 pro imperio ar  
 o libertate per  
 ad se pertraxit,  
 erim aliquanti  
 que ad Regiam  
 eò vocare; cum  
 x, cum tandem  
 onscripsit Exer  
 , stadiis à Nino  
 occurrit, pol  
 rimo facta, Ei,  
 n opprimeret:  
 diae praefectura  
 de iterato pra  
 prostratis ex eo  
 a metati erant,  
 i animos terru  
 osterum tenta  
 m situ contrari  
 n rege pugnan  
 ae fugere coacti  
 incussus est, ut  
 um contrarium  
 us fidentes, cum  
 auxiliaribus co  
 esse Arbaces cen  
 libertatis spe de  
 e Sardanapalus,  
 tentus, quas ex  
 nsfugas id resc  
 m perditis, fugâ  
 elicti, cum Sala  
 stodiendam sum  
 sit.

